





Q. R. B. V.

1693 44. 15

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

*Exercitatio Octava*

DE

# REGALI- BUS.

*Quam*

PRÆSIDE

CASPARE HEINRICO HORNIO,

J.U.D. Pandectarum P.P. atq; Collegiorum

Juridicorum, quæ hic sunt, Adessore,

D. *Novembr. MDC. XCIII.*

*In Auditorio Actorum*

publice defendet

GOTTLOB RUDOLPH de SCHLEINITZ,

Eq. Misn.

•••••  
VVITTEBERGÆ, Prelo Goderitschiano.



POSITIIONUM IURIS FEUDALIS

ANALYTICUS

DE

REGALIBUS

QUAM

PRÆSIDI

CASPARI HEINRICO HORNIO  
IUD. Pandectarum P. acq. Collegiorum

Juridicorum, qvæ hactenq. viderentur

D. Novebris MDCXCIII

In Auditorio Rectorum

publice defendit

GOTTLOR RUDOLPH DE SCHLEINIZ

Ed. Millii

WITTEBERGÆ, P.icio Gohenschmari





7. N. D. N. 7.

Th. I.

**N**on ambigendum est, *Regalia* vel *Regalias* à *Rege* derivari: Ziegl. de I. M. lib. 1. c. 3. th. 9. Sixt. de Regal. lib. 1. c. n. 1. Eo tamen sensu, quo hodie *Regalia* vel *Regalia* pro *Juribus* accipiuntur *Majestatis*, apud veteres & puriores linguæ latinæ autores voces hæc haud reperiuntur. Circa ætatem *Heinrici V. & Friderici Barbarossæ* harum vocum usus apud *Historicos*, & in *Documentis* publicis frequens fuit; ita tamen, ut *reditus* & *Fisci jura* potissimum significaverint. Notabiles hac de re loci sunt in *Guntberri Ligurino*. lib. 8. & ap. *Radevicum de rebus gestis Friderici*. Lib. 2. c. 5. *Sigonium de Regno Italia* lib. 12. p. mibi 302. *Conf. Euben. Elect. Feud.* c. 10. §. 8.

II. *Regalia* itaque, prout hodie plerumque vox supponitur, sunt *jura ei qui Superiorem non recognoscit, competentia ad salutem & decus Reipublicæ tuendum*. Collectio illorum vocatur *Majestas*, quæ *suprema est, & libere regendi civilem societatem potestas ad finem propositum*. Atque ideo partes illæ totius potestativi *Jura Majestatis* rectè dicuntur. Utrum hæc *Majestas* subjectivè dividi: hoc est an partes, seu *jura* illa in diversis subjectis propriis esse, hæc erit queant; ita ut e. c. partem habeat *Princeps*, partem *Optimates*, partem *Populus*: vel partem *Princeps* solus, partem autem *Optimates* aliam vel soli, vel cum *Principe* simul: vel partem unam *Optimates*, aliâ *Populus* vel exclusis *Optimatibus*, vel non &c? acriter inter eruditos disputari solet; & ideo potissimum, quia hæc quæstio alii præjudicium parit: numne scil. mixta *Respublica* ex diversis formis detur? Quærum utramque plurimi negant, inter quos eminent *Bodinus* lib. 2. de *R. P. c. 1.* & *Hobes. c. 7. de Cive*. Nobis illorum *Philosophia* placet, qui *divisibilitatem*, & propter hanc *Rempublicam* mixtam admittunt:

A 2

tum

tum quod natura rei eam non impediatur; tum etiam, quod Majestatem ita divisam esse sapius certissime constat, atque adeo Domitianæ quæstioni haud abfimile videatur, quærere: an id, quod aliquando divisum est, dividi possit? Fatemur tamen in hac materia modum gubernandi vel administrandi à formâ Reipublicæ studiosè esse secernendum, abstinendumque ab illis tricis, quibus *Lampadius p. 1. §. 60.* sequentibus hanc doctrinam involvit, notatus ideo à summis viris *Conringio d. I. & B. Zieglero de I. M. l. 1. c. 3. th. III.* Sicuti & ille nos habebit facile consentientes, qui divisionem & mixturam istam non omni quadrare dixerit societati civili; sicque non semper esse consultum, ut illa admittatur.

III. In quibuscunque autem subjectis propriis resideat Majestas, hanc ab illis separari, & subditis communicari Jura Majestatis posse sine implicatione dici nequit: nam eo ipso, quo subdito ea communicantur, subditus amplius non erit, sed ad societatem imperandi est assumptus. Si vero in totum τὸ κῆροῦ habens se illis abdicat, & subditis confert, non amplius Majestas penes istum residere potest. Plane exercitium jurium illorum Majestatis parentibus interdum tacite vel expresse permitti posse, nullum dubium est: in quantum nempe sine detrimento publicæ rei id fieri, & exercitium illud extra Majestatem commode à civibus vel subditis suscipi potest. Quo tamen casu abstinendum esse à nomine Jurium Majestatis vel Regalium cum forma harum rerum deficiat; atque potius Jurium eximiorum vel privilegiorum titulum substituendum plerique agnoscunt. Licet verò τὸ κῆροῦ tenens illum, cui semel legitime acquisitum est exercitium ejusmodi juris, quo minus utatur, sine justa & magna causâ impedire haud possit: Superioritas ejus tamen semper excepta intelligitur, quæ inter alia ἐπιτροπήν continet, ut jure suo debito modo utatur, & non abutatur ille, cui est concessum. Quam rem latius exponunt *Ziegl. de I. M. l. 3. 18. & II. VI. 5. Bæcl. Inst. Pol. L. II. c. II. p. 117.*

IV. Hæc quoad Thesin ex principiis Politicis repetiisse sufficiunt. Quod si verò ad Hypothesin veniendum, & quo modo res hæc in Imperio Romano-Germanico sese habeat? dicendum: paulo plures difficultates sese objiciunt nobis. Dicamus tamen, quæ nobis hæreat sententia paucis; mentem nostram in Cathedra latius exposi-

tur.

turi De forma & statu Imperii Romano-Germanici hodierni frequentes solent esse disceptationes, eaque acerrimæ: magis tamen in Scholis, quàm in Aulis & Congressibus publicis. Neque verò ulla lege publica quæstio hæc definita est, decisioneque illius carere nos posse res ipsa docet: si modo ea, quæ juxta leges fundamentales tum ad auctoritatem & præ eminentiam Imperatoris, tum ad libertatem & jura Ordinum spectant, probè observentur. Quod si tamen statum modernum Imperii nostri ad doctrinam civilis prudentiæ conferamus, haud vana collectione effici posse arbitramur, ut credamus, in vasto hoc corpore divisa jura Majestatis; adeoque formam mixtam inesse Imperio nostro. Quæ ipsa sententia in scholis receptior est, atque tam Aulæ Cæsareæ, quàm Ordinibus Imperii, quantum constat, non improbatur. Scilicet Jura Majestatis non soli Imperatori, nec solis Ordinibus competunt, sed vel Imperatori & Statibus omnibus indivisim ac conjunctim consideratis simul: vel Imperatori & Collegio Electorali: vel denique Imperatori soli, quæ Reservata dicuntur. De his omnibus latè agunt Juris publici scriptores passim, ex quibus *Dn. Vitar.* distincte ista *L. III. l. 7. P. L. 2. seq.* exponentem allegasse sufficiat. Quo posito sua sponte fluit, formam Imperii ex Monarchia & Aristocratia esse mixtam, ita tamen, ut Monarchia quadantenus prævalere videatur, cum Status soli in universo Imperio & summa totius Reipublicæ nihil Majestaticè agant; Cæsar verò solus in quibusdam id omnino faciat, atque in illis quoque, ubi Status cum ipso concurrunt, modus administrandi (quod quidem adeo ad formam non pertinet) Monarchicus sit receptus. Quamvis hoc ipso illud asserere nolimus, Imperatoris sententiam in Comitibus, si à Statibus discrepat, præferendam esse, de qua re *vid. Schweder. I. l. P. p. spec. sect. 1. c. 30. §. 17. Ant. der Grund-Reste P. II. c. 9. p. 178.* Sane *Reinkingii* sententia statum purè monarchicum fingens à *Bœclero Inst. Pol. lib. 3. c. 8.* aliisque solidè confutatur, & ab omnibus fere hodie risu excipitur, compertumq; est parum gratiæ in Aula Cæsarea ipsam invenisse. Illi, qui Monarchiam temperatam seu limitatam dicunt, facilius quidem tolerari possunt, quam *Reinkingius*: nec tamen applausum merentur. Nam & id limitata Monarchia Jura Majestatis penes unum manent: quod certè de nostro Imperatore dici non potest, dum ultima negotiorum

gotiorum publicorum analysis in potissimis rebus in ipsum solum non fiat, sed in Ordines simul: licet in expeditione conclusorum modum Monarchicum esse facile admittamus. Novissime Generosiss. Dom. Job. Bernb. Miltz. à Schönfeld in representatione Majestatis Imperatoriae Cæsari propriè sic dictam Majestatem tribuit, sed in Prolegomen. c. 1. §. 3. talem sibi fingit definitionem Majestatis, quæ ab ea Majestate de qua in doctrina civili agitur, & hac controversia sermo est, toto cælo differt.

V. Qui cum Bodino & Hippolyto à Lapide Aristocratiam fingunt, Imperatorem Ordinibus subjiciunt, & Magistratus saltem nomen vel modum administrandi Monarchicum tantum ipsi concedunt, nullo quoque assensu sunt digni. Nam in Aristocratia Optimates juribus Majestatis soli gaudent, in Imperio vero nostro res aliter se habet: atque jura Majestatis, tum penes Imperatorem & Ordines simul, tum solum Cæsarem sunt: quæ Jura Imperatoris ad modum administrandi nudum neququam referri possunt. Sunt quidam, qui cum Monzambano unitatem Reipublicæ Rom. Germanicæ plane negant, atque corpus illud systema Civitatum inæquali fœdere cum Imperatore tanquam capite combinatorum dicunt. Sed hæc sententia cum Legibus fundamentalibus, nexu feudali, obedientiâ & subjectione Ordinum conciliari nequit. Quod illi, qui Monzambano sese objecere, ostendunt passim. vid. Dissert. Dn. Obrechtii de unitat. Reip. Rom. german. Dn. Kulpisii ad Monzambanum. Iter de Feudis 7. c. 19. tb. 7. Etsi vero forma hujus Reipublicæ Regulis Aristotelicis non usquequaque conveniat; nec ullum fortè similis Reipublicæ exemplum exset: non tamen ideo ferendi sunt illi, qui monstrum plane dicere non erubescunt.

VI. Hæc ita se habent intuitu totius vasti illius corporis, quod Imperiû Rom. Germanicum appellatur: ubi tamen negandum nõ est, quibusdam vel Statibus vel Non-Statibus exercitium Regalis unius alteriusve ratione totius Imperii vel partis interdum concedi: quale quid in illis rebus contingit, quæ à Circulis expediuntur, & in iis, qui privilegio gaudent, creandi Comites, Barones & Nobiles, & tales quidem, qui in toto Imperio pro his habentur; item in Collegiis Academicis, quæ gradus honorum distribuunt eadem efficacia, ac si ab Imperatore collati,



collati, in Comitibus sacri Palatii, qui Tabelliones creant, quorum  
facultas in omnibus Romani Imperii territoriis vim exercere potest.  
Quod si vero territoria singula Ordinum Imperii intueamur, nemi-  
nem latere potest, hosce in illis Regalia, quæ olim ad Imperato-  
rem & Imperium pertinere, quiete exercere: quæ ipsa tamen, quia  
ex Imperatoris & Imperii concessione tacita vel expressa titulo allo-  
diali vel Feudali (*vid. supra Exercit. 2. tb. 4. Iter. de Feud, l. c. 8. §. 31.*  
*R. I. 1641. §. 93.*) dependenter acquiruntur & habentur, in relatione  
ad Majestatem totius Imperii, nec jura Majestatis, nec Regalia pro-  
prie dici queunt, quippe quæ summi tantum sunt & independenter  
imperantis; sed rectius jura eximia, & privilegia vocantur. *vid. R. I.*  
*1570. §. alsdenn auch ibi: unser Kaysers. Regal. 132. Strauch. J. J. P. L.*  
*11. c. 10. M. D. Lincker. Diff. de Superior. terr. p. 96. 104.* Quoniam ta-  
men per modum complexus habentur, & totum illud potestativum  
summam Majestatem æmulatur, ejusque analogæ quædam species est,  
usu juris publici invaluit, ut jura ista Ordinum intuitu territoriorum  
quibus præsent, Regalia in Legibus publicis & literis investiturarum,  
dicantur passim. *Ord. regim. 1521. §. 4. Ref. Pol. 1530. T. 39. §. 2. Ord. Pol.*  
*de an. 1577. T. 10. §. 1. L. I. P. O. a. 8. pr.* complexus vero vel totum  
illud potestaticum *Superioritas*, non quidem absolute (quæ idem est,  
ac summa Majestas, *§. idemq; dictus 74. J. P. Monaster.*) sed *territo-*  
*rials, jus territorii, sublime jus territorii, Landes Fürstl. Gräfl.*  
*Hohheit / Landes Obrigkeit / Oberherrlichkeit &c.* appelletur. *R. J.*  
*1548. §. 41. 48. 66. 1555. 1535. 1540. 1559. §. 21. a. 5. §. 1. J. P. In A. B. a. 13.*  
potestas hæc ordinum Jurisdictio nuncupatur, quod nemo mirari po-  
test, qui cogitat, hæc voce ex stylo Bartoli, cujus ministerio in con-  
scribenda Aurea Bulla Carolum IV. usum esse creditur, aliorumque  
tum illius, tum prioris adhuc ævi omne, quicquid est civilis Imperii,  
fuisse comprehensum. *Conf. Conring. ad Lampad. P. 1. c. 1. §. 1.*

VII. In definienda hac territoriali Superioritate mirè variant  
Dd., quorum definitiones omnes hic recensere nimis molestum fo-  
ret. Non mala videtur nobis illa, quæ apud *Ill. Dom. à Rbez. L. II.*  
*Inst J. P. T. 1. §. 10.* habetur: quod sit *summa potestas tam in Ecclesia-*  
*sticis, quam in Politicis Statibus Imperii in territorio suo competens,*  
*nisi restrictio vel lege publica, aut pactis cum subditis appareat.* Neque  
enim

enim ideo rejiciendam esse putamus, quod vocabulum *summa* sensum excedentem habere videtur: nam verba adjecta *vel lege publica* satis innuunt non absolutam summitatem, sed restrictam, & majori quæ LL. dicere illi potest, subjectam intelligi. Aliis magis placet *immediatum post Cæsarem regimen* dicere, aliis *potestatem summe proximam*, aliis adhuc *potestatem summi post Imperatorem Imperii & dominatus*, aliis *potestatem omnium summa inferiorem* &c. qui omnes se ita explicant, ut facile cum illis nobis convenire possit. Puto tamen Rhetianam istam omnium optimè exprimere latitudinem Ordinum potestatis, ita nempe ut in omnibus, quæ ad regendi potestatem facere possunt, etiam ratione potestatis extra ordinariæ (Gail. 1. O. 16. Carpz. 2. 33. 16. Becker Syn. J. P. c. 4. §. 17. p. 174. in personas & res territorii habeant fundatam intentionem, omniaq; possint facere in territorio suo, quæ olim in isto territorio potuit Imperator, vel quæ Cæsar & Imperium potest in Regimine universi, vel suo modo plus etiam, nisi in quantum restrictio aliqua prebetur. Quando verò eandem potestatem secundum vulgatum axioma, de cujus origine eruditè disserit D. Euben. pecul. Dissert. ap. D. Fritschium V. II. disp. J. P. tribuimus Ordinibus in Imperio, non identitate specifica id intelligimus; alias enim in una Republica plura darentur summa: sed analogia quadam & proportione: non independenter, sed dependenter & subalternè: non per adæquationem, multo minus abdicationem Imperatoriæ Majestatis, d. per subordinationem. Vid. D. Strauch. J. J. P. I. 14. 7. D. Lynck d. Dissert. p. 84. Quod de rebus Ecclesiasticis dictum, ita explicandum est, ut jure quidem æqua potestas omnibus Superioritate territoriali gaudentibus competat, licet non omne eadem plene utantur; quod Catholici ordines facere notum est, qui præter jus reformandi parum vel nihil juris circa sacra usurpant. Cæterum loco verborum *pactis cum subditis*, fortè non malè poni posset *conventionem tacitâ sc. vel expressâ*: nam & fieri potest, ut per pacta, vel præscriptionem exteri jus aliquod in territorio habeant acquisitum, quod plenitudinem Superioritatis territorialis quodammodo restringit. Conf. Mingius de Super. territor. c. 1. §. 18. De partita Superioritate legi merentur, quæ habet. Dn. Schilt. Diss. alleg. de Super. terr. p. 33. seq.

VIII. Originem hujus Superioritatis indagare jam non vacat: paucis tamen id saltem notasse sufficiat, non adeo novam rem istam esse, prout quidam sibi imaginantur. Nam ad illud ævum, ubi ex temporalibus dignitates perpetuæ, patrimoniales, & hereditariæ fieri cœpere, h. e. Conradi I. & Imperatorum Saxoniorum (nam quæ ex Caroli M. ætate adducuntur exempla paucissima sunt C. *Mabill* L. 3. de arte diplom. c. 1. §. 7.) originem esse referendam, nemo dubitare potest, qui Historiæ Germaniæ non est imperitus. Postea lento gradu incrementa cœpit, usque dum sub Maximiliano I., deinde per Capitulationes & Instrum. Pacis Osnabrugensis ad illud fastigium ascendit, in quo hodie est constituta. Atque sic assertum Autoris *der Kaysersheimischen Confutation*, quod ap. *Limneum* T. IV. L. 4. c. 8. num. 182. legitur: die Landes Fürstl. Obrigkeit sey vor alters ein unbekant Ding in Reich gewesen/ und ein fœtus nostri seculi; aut plane falsum est, aut valde sobriè explicandum. Illud vero nemo forte negabit, mutuas dissensiones in Imperio occasionem maximam illis incrementis dedisse, quæ non parum J.ctorum opera juvit, quippe qui Ordinum Jura in recessu quid habeant studiosè indagarunt, & voce calamoque exposuere publicæ luci.

IX. Superioritatem hanc, quam Ordines Imperii ab Imperatore & Imperio vel per investituram, de qua re merentur legi, quæ habet *Itter de F. I. c. 8. §. 3.* vel per contractum, privilegium aut præscriptionem, (*R. I. 1548. §. 56.*) patrimoniali jure & perpetuo acquirevere & habent, privativè illis competere, ita ut Cæsar cum Statibus in ea Superioritate non concurrat, nec impedire possit Ordines, licet in ipsorum territorium adveniat, plerique affirmant. *O. Cam. P. 2. T. 1. §. 8. O. I. Aul. Tr. Cap. Leop. II. 3. R. I. d. 1654. §. 105. Mingius de Super. territ. c. 4. §. 53. Ziegl. ad Calvol. p. 89. n. 5. Bertram. de Comit. concl. 60. Itter de F. I. c. 8. Tb. 8. Svveder P. Spec. S. II. c. 10. §. 9. Ertl de Superl. territor. p. 69.* Quibus facile assentimur, optime gnari, textum J. Saxonici L. 1. 4. 58. præsentis rerum statui minimè quadrare: si modo loco *privativè* substituatur *subordinatè*. Neque tamen dici potest, Imperatorem & Imperium omni abdicasse se Superioritate; sed adhuc illa salva est tum in ipsos singulos Ordines, tum etiam suo modo in personas, atque res in territoriis existentes:

B

quæ

quæ tamen non aliter, quam secundum Imperii leges exercetur. Testantur hoc satis *Ordin. Reg. d. an. 1521. §. Darauf befehlen wir R. 7. d. an. 1565. §. 23. R. I. de an. 1555. §. 59. R. 7. de an. 1554. §. 105. art. 3. & 18. Capit. Leopold.* aliique plurimi textus: itemque formulæ Juramentorum, quas exhibet *Dn. Stryk. in Append. Examin. Feud. n. 14. 15. 16. Conf. Ming. d. l. cap. 2. §. 24. Dn. à Rbet. Inst. J. P. lib. 1. tit. 3. Dn. à Seckend. in Teutschen Fürsten Estat. p. 2. c. 4. Dn. Lynk. dict. Dissert. p. 44. Vitriar. 3. 15. 8.* Extat tractatus J. W. Relfensso Hieromontani personati, sed non ignoti Autoris, qui doctrinam Monzambani de systemate civitatum securus Ordinibus singulis in territoriis proprie sic dictam assignat Majestatem. Sed rationibus illius jam abundè ab aliis est satisfactum, & speciatim brevibus eruditis tamen animadversionibus ab Hunone ab Hunefeldt, sub quo nomine Autor celeberr. latere voluit.

X. Passim & apud recentiores Juris publici Scriptores præsertim traditur, Ordines Imperii habere, exercereque territoriale jus jure proprio, non ex concessione aut beneficio alieno: licet non negetur, plerosque Feudi nomine à Cæsare & Imperio territoria sua atque Regalia: tenere, atque adeo modum habendi à modo acquirendi distinguere volunt. Formulæ istæ *habere jure proprio, vel ex concessione* procul dubio ex Romano jure huc translatae sunt, in quo passim Magistratus Jurisdictionem vel jure suo, vel ex speciali concessione habere dicuntur. *L. 5. D. de Jurisd. L. 1. D. de offic. ejus cui mand. & c.* Quæ ratio loquendi, quid sibi velit, eleganter docent *Franzk. tit. de Jurisd. n. 34. & Vinn. ad §. 4. Inst. de Attil. Tut.* Nolumus disputare, utrum hæc Juris Romani distinctio commodè ad statum præsentem Ordinum Imperii trahatur, an vero tutius ea abstineamus: cum longè alia sit Magistratum Romanorum, quàm Ordinum Imperii conditio, quod hodie fatentur omnes? Arbitramur tamen tolerari id posse, si modo apta juvetur interpretatione.

XI. Quod si enim assertum illud ita accipiamus, ut Superioritas territorialis territorio annexa sit, eaque gaudeant Ordines jure perpetuo patrimoniali, æmulo Majestatis summæ, ita ut in posteros vel successores omnes devolvant, nec, si hanc vel illam partem istius exercere velint, opus sit speciali Imperatoris & Imperii concessione seu delegatione.

tivne, nihil absurdi habet. Sed ita prius membrum vim suam nativam planè amittit. *Conf. Mingius de Terr. Super. c. 1. §. 15.* Quod si verò eò trahere velis, quasi independens planè sit illa potestas, vel saltem independenter possideatur, & exerceatur, falsissimum foret, nec cum principiis Juris publici ob ea, quæ antea dicta, convenire potest. Quid? quod hæc ipsa formula *jure suo* Romano jure frequentata, nullam independentiam infert, sed tantum id indigitat, quosdam Magistratus Jurisdictione eâ gaudere, quæ natura officii sui secum fert, ob quamque initio est creatus, nec opus habere speciali ea in re delegatione seu concessione, quæ requirebatur in extraordinaria Jurisdictione. *Dn. Struv, Synt. J. c. tb. 53. & 66.* Ex dictis autem sequitur, nullam quoad dependentiam inter modum habendi & modum acquirendi differentiam esse, quod & observatum est *Magn. Dno. Lynck. Dissert. de Super. territ. p. 49.*

XII. Nolunt quidam admittere posse, Statuum territoria Imperii dici, & ab Imperio concedi: licet non negent, plerosque Feudi nomine territoria sua a Cæsare & Imperio recognoscere, & amittere certo modo posse. Quomodo hæc cohæreant, nos non capere ingenuè fatemur. Nam si Feudi jure recognoscantur territoria ab Imperatore & Imperio; dominium directum, quod cum utili aliquando consolidari potest, penes dantem sit, necesse est: nisi vulgatissima principia J. F. evertere velimus. Si hoc: cur non Imperii ea dici queant, vel ab Imperio concedi? Quod de mercatore exemplum adducunt, cujus merces, quando telonium fallit, cadunt in commissum, licet antea non fuerint Fisci, huc quadrare non videtur nobis: quoniam plane alia ratio est mercium & rerum in Feudum concessarum: quod cui-libet patet. Sapit autem hoc assertum illorum Philosophiam, qui Imperium nostrum systema civitatum esse, conantur probare. Sicubi Status territoria allodialia possident, dici utique non potest, dominium directum illorum Imperii esse, licet fortè plenum ejus antiquitus fuerit: nihilominus tamen & illa, quoad supremam directionem, quam sive dominium universale, sive Imperium dixeris, perinde est, Imperatori & Imperio esse subjecta, nullum est dubium. *Itter de F. l. c. 8. §. 32. R. I. d. a. 1555. §. 59.*

XIII. Territoria ista Ordinum in se considerata speciem quidem quandam habent Civitatum, universamque Rempublicam æmulantur: ad univ[er]sum tamen relata Imperium pro perfectis Rebus publicis haberi haud possunt: siquidem forma Civitatis Majestas ipsis deest; Ordinumque potestas non tantum quoad modum habendi, uti Monzambano *e. 5. §. 28* asserit, verum etiam quoad rem ipsam ab Imperatore & Imperio dependet. Interim illud *Monzambano* facile largiri possumus, quod *c. 6. §. 2.* tradit: Regimen territoriorum singulorum *instar* Monarchiarum, Aristocratiarum, aut Democratiarum sese habere. Nam Electores & Principes seculares, item Comites & Barones instar Monarchiarum territoria regunt, cum hoc tamen discrimine, ut interdum laxior, interdum limitata sit eorum potestas per pacta cum subditis; non raro quoque Ordinum Provincialium cœtus in consortium potestatis assumtus, & mixtura ex Monarchia & Aristocrazia obtinere videatur. In Ecclesiasticorum Elect. & Principum territoriis modus administrandi Monarchico similis quidem apparet: sed quia autoritas Capitulorum non exigua est, nec sine illorum consensu res magni momenti peragi possunt, regimen illarum mixturam admittere videtur: quamvis de omnibus non idem judicium sit ferendum. Urbium Imperialium nonnullæ Aristocratico, nonnullæ Democratico utuntur Regimine, ita tamen, ut interdum mixtura formarum vel temperamentum ratione modi administrandi reperiatur. Plura hac de re legi possunt in eruditissimo scripto *Ill. D. Ludolph. Hugonis de statu region. Germ. Dom. Kulp. ad Monzamb. d. l. Obrecht. dissert. de Unit. Imperii.* Cæterum ex hisce liquido apparet, Jura publica particularia in Germania quam plurima dari, quorum tamen notitia non æque ac universalis omnibus patet. *Couf. Dn. Raubel. Oratio Noviomagensi. c. 18.*

XIV. Ordines Imperii in territoriis suis ejusmodi Jura, quæ ad Superioritatem, vel Regalia aliàs referuntur, subditis conferre quoque solent: qualia nempe extra Superioritatem territorialem, & sic commode à concessionariis exerceri possunt. Quamvis utique dicendum sit, ea jura tunc non Superioritatis vel Regalium nomine, sed privilegiorum titulo allodiali vel feudali tacitè vel expresse concessorum propriè venire. *Struv. c. 6. t. b. 13. n. 3.* Et quamvis etiam, præsertim illæ, quæ

que titulo feudali habentur private vel subordinate potius concessa intelligantur; & sic dominus non possit impedire vasallum in exercitio Jurium: Salvum tamen & hic Jus Superioritatis semper censetur. *Cz. l. 27. ff. Rbet. J. F. ff. p. 149. Klock. L. 1. Conf. 13. n. 1. 2. Mingius ad Terr. Sup. c. 4. §. 55. D. Lyncker dissert. 1. de Super. terrat. p. 49. Dn. Stryk. b. t. q. fin. Conf. Ex. 7. th. 16.*

XV. Feudum Regale, sive Regalis Feudi dignitas non confundenda est cum Regalibus, nec cum Superioritate territoriali. Omnis qui Feudum Regale habet, habet etiam Regalia quaedam; sed non statim territorialem Superioritatem. Exemplum præbent Principes, Comites & Barones mediati. Omnis, qui Superioritatem territorialem habet, habet quidem Regalia ceu partes illius totius; sed non statim dignitatem Regalem, vel Feudum Regale: quod exemplo Civitatem Imperialium patet. Qui Regalia habet, non statim habet territorialem potestatem, aut dignitatem Regalem: quale quid in Statibus, qui in alieno territorio regale quoddam exercent; in Nobilibus immediatis; imò mediatis contingit, *D. Euben. c. 10. c. 9. & D. Itter. de F. I. c. 3. th. 8.* Interim si extra Majestatem aut territorialem Superioritatem Regalia competant, rectius abstinemus ab hac denominatione, & Jurium eximiorum aut privilegiorum substituimus nomen, *D. Lynker Anat. c. 6. apb. 13. n. 1. Conf. Maur. D. VI. Concl. 1.*

XVI. Jurisdictionem eo sensu, quo jure Romano capitur, non inesse formaliter Majestati, sed virtualiter tantum, aut eminenter vulgatum axioma est. De Superioritate territoriali idem dici potest, eam sc. non inesse formaliter Majestati, sed virtualiter tantum, & eminenter: nam quæ Majestas habet formaliter, independenter habet: talis autem non est Superioritas ista. Quod si ergo titulo feudali ab Imperatore concedatur Superioritas territorialis, quæritur: quid loco domini directi eo intuitu apud Imperatorem & Imperium maneat? Respondemus partem exercitii Majestatis jurium distributive in singulis ordinum territorii spectati remanere, esseque loco domini directi; alteram verò quæ ad Vasallum pervenit, domini utilis. Hæc ipsa pars exercitii Jurium Majestatis apud Concessionarium in aliud nomen transit, & eo ipso quod dependet, Majestatis dici nequit. Operæ pretium non deerit, hoc argumentum si alibi explicetur latius. *Conf. D. Lynck. Diss. de Sup. Territ. p. 40.*

XVII.



XVII. *Regalia in majora & minora* communiter dividi solent: quæ divisio licet apud multos vapulet, retinenda tamen nostro judicio est, si modo id observaverimus, illam ab objecto vel fine esse petitam. Atque adeo non ideo majora vel minora dicuntur, quod hæc non æquè participant à Majestate, ac illa; sed quod majus & nobilius, vel minus & ignobilius objectum habeant, atque vel Majestatem habenti ipsi, vel Fisco saktem ejus consulant. Itaque *majora* vocamus illa, quæ principaliter gubernationem & statum ipsum, sicque personam Imperantium concernunt, sine præsentaneo pecuniario commodo: quorum referas potestatem Legislativam, constituendi Magistratus, Jus belli & pacis, extremæ provocationis, collationem dignitatum &c. *Minora*, quæ principaliter commoda & emolumenta respiciunt, quæ ex bonis publicis, vel alia ratione ab Imperante percipiuntur; atque per consequentiam statum & gubernationem Reipublicæ tangunt. Vocari plerumque alias Jura Fisci, Jura fiscalia solent. Atque cum J. F. Interpretibus de illis tantum, quæ *II. F. 56.* recensentur, & maximam partem minora sunt, agere svtum sit, horum vestigia sequi, & nobis hac vice est constitutum, de aliis alio tempore dicturis.

XVIII. Jus *Armandia, Arimandia, Armannia* cujus mentio fit *II. F. 56.* quid sit? variant Interpretes. *Matthias Afflictus* vectigal ex armamentis præstari solitum intelligit, sed sine applausu. Alii jus habendi armamentaria publica intelligunt, vel jus habendi fabricas armorum, de quo jure *Nov. 85.* agit, quod *Cujacius* facit, *Hottoman. Sixtinus de Reg. L. 2. c. 1.* Alii jus percipiendi certum vectigal ab illis, qui licentiam habent armorum faciendorum *Godofr. ad d. L. un.* Novissime *Carolus de Frene in Gloss. sub voce Herimanni* opinatur: Arimanniam, vel Arimandiam esse obligationem in Vasallis eundi in exercitum: quod non improbabile nobis videtur.

XIX. Jus viarum publicarum quid sit? paucis docet *Ill. D. Stryk. c. 9. Q. 6.* Latius velo tradit *B. D. Ziegl. de J. Maj. L. 2. c. 12.* Nos saltem id addimus, referri etiam communiter inter Reservata Imperatoris Jus viarum publicarum, quatenus nempe consistit in coactione Ordinum Imperii singulorum, vel membrorum immediatorum, ut in territoriis securitatem publicam in viis præstent, & res viatoribus ablatas



ablatas restituant. *Besold. de Regal. c. 8. §. 4. R. I. d. A. 1559. §. 33. 34.* ex quo tamen textu fluere videtur, Jus hoc Imperatori & Statibus esse commune. *Conf. Gail. L. 2. c. 64. Sixtinus de Regal. l. 2. c. 1.*

XX. Cognitio Criminis in via publica perpetrati non ad illum, qui Jurisdictionem altam in eo districtu habet, pertinet; sed ad istum, cui Majestas vel Superioritas territorialis competit. *Gail. L. 2. Obs. 64. n. 2. Rosenth. de Feud. c. 1. Concl. 20.* Sed in Electoratu Saxoniae cognitio hęc criminis in via publica commissi ad eum, qui memoratum Imperium habet, spectat. *Zanger. de Except. P. 2. c. 1. num. 244. Carpz. in P. Crim. quest. 101. n. 44. D. Sævus D. J. V. Tb. 4.*

XXI. II. *Feud. 56.* Flumina navigabilia, & ex quibus navigabilia fiunt, ad Regalia referuntur. Reliquorum fluminum, ut maxime in aliud flumen ingrediantur, si navigabile id non reddant, non facit mentionem *Const. d. Friderici Imi.* Qua de causa hęc ad Regalia non pertinere, & ita generalia verba *Gumbari & Radevici* ex dicto textu esse explicanda vult *Sixtinus de Regalibus L. 2. c. 3. n. 8.* Quod uti secundum Jus Feudale commune verum esse putamus, ita nihil obstat, quo minus etiam in hoc vel isto territorio & hęc flumina ad Regalia referri potuerint. *Conf. D. Ziegler. de J. Maj. L. 2. c. 15. Tb. 20.* Cæterum Regale Fluminis consistit in Jure disponendi circa piscationem, navigationem, extructionem molendinorum aquaticorum & navalium. *Ziegler. d. loco,* item in Jure flottandi seu ligna vehendi *Flottgevechtigkeit* (*Conf. C. 8. Argent. Vol. 2. Dissert. D. Fritsch. de Jur. Flottandi*) Jurisdictionem in eo exercendi, & redditus percipiendi. *Rosenth. c. 5. Concl. 23. Sixtinus L. 2. c. 3.*

XXII. Alveum relictum à Flumine, & Insulas in Flumine natas communiter Dd. hodiè ad Principem Jure Regalium pertinere volunt, *Gryph. de Insulis c. 11. n. 45. Sixtinus de Regal. lib. 2. c. 3. n. 29. J. Sax. sententia J. Civ. §. 22. 23. Inst. obtinet Artic. 56. Landr. L. 2. Ziegl. de J. Maj. L. 2. c. 15. n. 25. 26.* Licet autem ita Insula ad privatos pertineat: Superioritas tamen & Jurisdictio ejus erunt, cujus sunt in Flumine. *Carpzov. P. 3. C. 31. d. 12.*

XXIII. Utrum privata autoritate molendinum extruere liceat? disputant Dd. varie. Multi negant, molendina indistincte ad Regalia trahentes. *Francisc. Stymm, de J. Maritimo P. 2. c. 2. n. 174. Manz. Dec.*

*Dec. Paltad. Q. 92. n. 9, Besold. Thes. Practic. voce. Mühlen.* Nobis affirmativa placet, & ideo quidem: quoniam extractio hæc molendinorum ad naturalem libertatem pertinet, nullaq; Lex publica scripta aut non scripta in Rom. Imo. extat, qua illa naturalis libertas restricta, & extractio molendinorum ad Regalia relata fuerit. Quæ de causa, nisi specialis Lex prohibitiva allegari possit, licitam arbitramur cuivis illam extructionem esse, ad Flumen publicum quoque: dummodo usus Fluminis non fiat deterior, neque ædificatio ad æmulationem sit suscepta: *Rosenthal. de Feudis C. 5. Concl. 4.* Etsi enim Flumina ad Regalia spectant: quia tamen usus eorum subditis non omnis interdictus, concessus ille adhuc censetur, de quo nulla habetur prohibitio. Plane quod *Carpz. de contraria consuetudine Saxonica P. 2. Const. 4. D. 10.* habet, nullius est momenti, & ex *Constitutione Divi Augusti 3tia p. 5.* non edita quidem, sed Collegiis Juridicis, ut eam in pronunciando observarent transmissa, satis confutatur: quippe qua naturalis illa libertas confirmatur, secundum quam in *Colleg. Wittenberg.* sæpius esse responsum novimus. Plura de hoc argumento habentur apud *D. Zieglerum d. 7. M. L. 2. c. 15. Th. 32. seqq. Hering. de Molendinis Q. 19. & in Diss. sub Ill. Bornio Lipsiæ 1689. habita de eo quod iustum est, circa molendina. Ad locum Guntheri L. 8. & Radevici L. 11. d. R. C. Friderici c. 25.* Molendina ad Regalia referentes, respondebimus in conflictu. Plane Legem condi posse, qua extructione Molendinorum libera subditi prohibentur, ut & Insulæ nondum natæ acquisitione, nullum est dubium. *Conf. Th. XXI.*

XXIV. *Portus* ad Regalia pertinere ex *II. Feudor. 56.* patet. Consistit autem hoc Regale tum in Jure Superioritatis & Jurisdictionis, cui omnes personæ & res in portum delatæ subjiuntur. *Locen. de Jure Maritimo L. 1. c. 4. n. 6.* tum in Jure arcendi a porta, exigendi submissionem velorum, (das Segelstreichen) visitandi naves, exigendi vectigal, præstationem navium &c. Quæ omnia late exequitur *Dv. à Rbetz in Diss. de J. Portuum Conf. Alber. Gentil. Advocatio Hispanica L. 1 c. 14.* ubi quæ portibus debeatur reverentia, recenset.

XXV. *Ripatica* quid sint, quorum in alleg. *Const. II. Feud. 56.* mentio fit? non convenit inter *Dd. M. Anton. Peregrin. de Jure Fisci L. 1. c. 1. n. 24.* Ripatica accipit pro omni jure quod Princeps habet in Fluminum

minum publicorum ripis ( quæ alias in agris arcifiniis sunt privato-  
rum quoad proprietatem, quoad usum vero publici Juris §. 4. *J. de*  
*R. D.*) vel respectu vectigalium, vel respectu aggerum, vel respectu  
juris transfretandi. Quam sententiam non improbabilem putamus,  
praesertim si conferamus illa, quæ ex monumentis veterum habet  
*Dn. Fresne in Glossario sub hac voce. Sixt. de Reg. L. 2. c. 5. Einsiedel*  
*de Regal. c. 3. n. 136.*

XXVI. *Vectigal* à vehendo dictum, in genere omnem functio-  
nem publicam significat, ex qua Fiscus commodum sentit. *Tit. ff.*  
*si ager vectigal. §. C. de Vectig. §. Commiss. L. 16. §. 17. de V. S. L. 1. §. 1.*  
*de Publican.* Speciatim autem accipitur pro munere reali pro inve-  
ctione aut evectione, aut etiam transitu saltem mercium illi, qui τὸ νόμιον  
in Republ. habet, vel illi, cui id vel tacite vel expresse ab isto est con-  
cessum, ob defensionem & refectionem viarum publicarum, & onera  
Reipublicæ ferenda solito præstari. *Ziegl. de J. M. L. 2. c. 5. §. 6. J.*  
*Rom. sine jussu Principis vectigalia non exigi aut institui potuisse,*  
*ex L. 10. D. de Publican. & t. t. §. C. Vectigalia,* satis patet, ita ut qui ta-  
le quid faceret, incideret in crimen Ambitus vel Majestatis *L. 10. D.*  
*ad L. Jul. de Ambitu L. 3. ff. ad L. Jul. Majest. & L. Jul. de vi publica*  
*teneretur, l. ult. ff. ad L. Jul. de vi publica.* Atque licet Civitatibus  
etiam vectigalia competiisse legamus *L. 3. C. de Compens. l. 15. §. 10. ff.*  
*Excus.* certum tamen est non ex propria autoritate, sed ex Principis  
consensu id factum esse, *L. 1. §. 2. C. de Vectigal.* Sub Francicis Re-  
gibus & Imperatoribus Jus hoc illis peculiare fuisse, eos tamen mo-  
derate hoc usus esse docet ex *Capit. Francicis Lehm. Chron. Spir. L. 2. c.*  
*44. p. 190.* Pariter Imperatores Germanici vectigalium jus & exerci-  
tium sibi solis per omnes Imperii & Regnorum partes vindicarunt:  
donec pedetentim exercitium variis titulis ad Ordines Imperii alios-  
ve pervenit, ita ut hodie nulli, vel exigui saltem proventus Impera-  
tori ex teloniis supersint. *Spec. Sæv. lib. 1. c. 12. §. 4. Gloss. ad a. 2. L. 11.*  
*Landr. Lehm. Chr. L. 4. c. 1. 3. p. 263. Radevicus lib. 1. cap. 5. de Reb. Ge-*  
*stis Frid. II. t. 58.* Tempore Interregni illius magni & famosi, cum  
præter alia illius ævi mala vectigalium abusus crevisset *Lehm. Chr.*  
*Spir. L. 5. c. 92.* à Rudolpho I. acerba Constitutio contra nova vectiga-  
lia edita est Würtzburgi 1287. & repetita Spiræ 1291. quam exhibet  
*Lehm.*

*Lehm. d. l. c. 108 p. 629.* Habentur ibi hæc inter alia verba: *Swer dawider tut / Der hat den Landfriden gebrochen / und umb den Bruch so ist er in der Achte / und in des Babestes Banne / den man jergeslich kündet an des Anclases Tage / und in des Legaten Bann / den er über unrechte Zolle zu Wurcebure in dem Concilio gekündet hat.* Hoc Concilium sub Honorio IV. eodem anno 1287. presente ipso Imperatore & Legato de Latere Johanne Tusculano Episcopo fuit celebratum. *Tribemius in Chronic. Hirschau Binius T. III. Concil. General. & Provincial. sub Honorio IV. p. 1502.* Cæterum jam ante ea tempora ab Alexandro III. pœnam excommunicationis minoris in illos, qui sine autoritate & consensu Regum & Principum novas pedagiorum exactiones instituunt, statutam esse ex *Capit. 10. X. de Censibus*, patet. *Ziegl. Lib. 2. c. 6. §. 12.* Ex Constit. vero Rudolphi illud, quod obiter monemus, apparet, veteres vocabulum *Acht* de præscriptione Imperatoris, *Bann* vero de excommunicatione usurpasse, quod pluribus confirmat *Speidelius in voce Bann.*

XXVII. Hodie per Capitulationes Imperatorum eo deventum est, ut nec Imperator ipse vectigalia erigere, nec aliis concedere, nec concessa antea augere, & prorogare queat sine consensu Electorum. *Cap. Caroli V. art. 18. Ferdin. II. art. 17. Ferdin. III. art. 20. Ferd. IV. art. 19. Recess. Imperii de Anno 1578. §. 116. seqq.* Qui consensus Electorum collegialis olim licet sufficeret, hodie tamen juxta novissimas Capitulationes Leopoldi Invictissimi *art. 21.* & Josephi Sacrat. *art. 20.* non aliter effectum sortitur, nisi singuli septem Electores (Regis Bohemiæ enim necessarius non est) unanimiter sint consentientes. Imo cum post has Capitulationes novus Electoratus sit introductus, nullum dubium est, quin & hujus novi Electoris assensus adhiberi debeat. Ad hæc concessio ista novi vectigalis vel augmenti saltem, aut prorogatio fieri nequit, *Es seyen denn / uti verba Capitulationum habent, die benachbarte und Interessirte Stände / und deren erforderetes / auch in gebührende Consideration ziehendes Gutachten vorhero darüber vernommen.* Insuper Immunitas Electoribus & eorum Subditis & Ministris à vectigali illo novo relinquenda. *art. 25. Cap. Leopold. & art. 22. Cap. Josephi. Myler. ab Ehbrenb. de Imp. Stat. p. 31. 64.* Cæterum quod de Collegiali & Individuali consensu dictum, fraudi non esse debet illis, qui eo tempore, ubi Electorum Consensus vel plane non, vel

vel saltem Individualis haud requirebatur, jus vectigalis debito modo impe-  
trare aut acquirere. (rechtmäßig erlangt / oder sonst nützlich herge-  
bracht) Sic, exempli causa, hæc non pertinent ad Archi-Duces Austriae, qui  
ex Privilegio in omnibus ditionibus eorum nova telonia erigere possunt  
*Limn. Lib. 5. c. 2.* nec Electores Brandenburgenses, qui pro lubitu vectigalia  
augere possunt in territoriis antea possessis, & postea possidendis. *Scheplitz.*  
*in Constit. March. p. 2. tit. 5. §. 3.* Ex his vero omnibus id efficitur, Ordines  
Imperii non Jure Superioritatis territorialis, sed ex speciali concessione Impe-  
ratoris & Imperii gaudere jure vectigalium. *Ill. Dom. à Rhez J. J. P. II. XV.*

XXVIII. Contra nova vectigalia proprio ausu instituta, vel non debito  
modo acquisita, mandata sine clausula decerni possunt. *Capit. Leopold. Art. 21.*  
Atque cum *in artic. 22. d. C.* Imperator modernus Invictissimus promiserit:  
daß Ihro Kaysersliche Majestät auf eingezogene Information dem Kaysersl.  
Fiscal gegen dieselben zuverfahren anbefehlen wolle. *In Cap. Sac. Joseph. art. 22*  
illud insuper additum, daß der Kaysersl. Fiscal auf des einen oder andern hie-  
runter beschehenen Denunciation mit und ohne des Denuncianten zu thun  
schleunigst verfahren solle. Imo quamvis alias Jus sibi dicere non liceat, dicto  
tamen *art. 21. & 22. Cap. Leopold. art. 20. 21. Joseph.* cuilibet Electori, Principi  
& Statui Imperii, imo Nobilitati immediatae relictum est, dergleichen Be-  
schwerde so gut als sie können sich zu entledigen und zubefreyen Plura de hac  
re in *d. C. Art. 20. seqq. legi possunt Conf. Vitriar. lib. 3. tit. 1.*

XXIX. Illud notabile, quod in Matthiae & seqq. Imperatorum ac Re-  
gum Romanorum Capitulationibus cautum, controversias de Vectigalibus  
non in Camera, sed coram solo Imperatore tractari debere. *Cap. Leopold. art.*  
*24. Josephi art.* Quod quidem universaliter inter omnes Status Imperii obti-  
nere volunt quidam *Dn. à Rhez lib. 2. tit. 15. Instit. J. P. §. 9.* Sed si textus Ca-  
pitulationum inspiciamus, apparet, illos de casibus, si lis Electorem tangat  
simul, idemq; actor sit vel reus, loqui *Limn. ad Capit. Matthiae 4. 23.* Plane reli-  
quos Ordines Imperii conventionem hanc inter Imperatorem & Electores  
circa exclusionem Concurrentiae Jurisdictionis Camerae ægre ferre, imo  
ipsam Camerae nondum hactenus cedere voluisse jure cognoscendi in ma-  
teria Vectigalium Electores tangente, ex illis patet, quæ habentur *ap. Ro-*  
*ding. in Pandect. Cam. lib. 1. tit. 1. §. 9. tit. 12. §. 83. & Mantissa 2. Aut. der*  
*Grundveste III. 3. p. 233.*

Jus monetae ad summam Majestatem pertinere, atque in Republica Ro-  
mana isti soli relictum fuisse, post alios eleganter docet *Dn. Ziegl. de J. M. l. 49.*

*Myl. ad Rumel. p. 3. dist. 3. tb. 19. Conf. l. 2. C. de falsa moneta.* Sub Imperatoribus & Regibus Francicis idem fuisse observatum, nec ullo alio in loco permissum monetam cudere, quam in Palatio Regio, uti olim apud Romanos in Junonis templo, ex Capitalis Francicis est notissimum: in Comitibus tamen sæpius de re monetaria actum fuisse eo tempore, ex dictis *Capit. probat Lehm. Chr. Spir. L. 21. q. 3. p. 158.* Pariter Imperatores & Reges Germanici Jus monetæ sibi vindicarunt: neque ulli cudere monetam, vel circa illam aliquid agere licuisse, nisi ex concessione Imperatorum & Regum docet *Spec. Svec. L. 1. c. 112. n. 4. L. 11. a. 26. l. N. ibiq. Gloss. II. Feud. 56.* Moneta ad Regalia refertur. Qui majoribus cum *Rosenthal. accensent Concl. 33.* non adeo male sentiunt; si præsertim Jus publicum nostrum respiciamus. Namque juxta hoc non lucri pecuniarii Fisco inferendi causa, sed ad decus & utilitatem Reipublicæ cudi moneta debet: quod quam plurimis Constitutionum Imperii locis satis indicatur. *R. I. ad A. 1570. §. 132. ib.* Als denn auch die Münz-Gerechtigkeit kein mercanz, sonder unser Käyserl. Regal/ so die Münz-Stände aus unsern sondern Vertrauen/ nicht zu ihren selbst gesuchten Vortheil/ sondern wie wir selbst / dem Heil. Reich zu Ehren und Wohlfarth brauchen sollen/ demnach ja billich/ wer solch unser Regal untreulich mißbraucht/ daß er sich dessen selbst dadurch unwürdig machet und entsetzet: *R. I. de A. 1570. §. 132. ib.* Als denn auch & *J. M. O. Ferd. I. §. 175. &* alibi passim. Sed quam parum hodie hæc curentur, postquam tantum non ubique res monetaria indistincte redditibus Cameralibus (ordentlichen Cammer-Intraden) accensentur, quilibet cum damno publicæ privatæq; rei satis intelligit.

XXXI. Usu Juris Publici nostri Rom. Germanici aliud est *Jus Monetæ*, aliud *Jus concedendi privilegium cudendi monetam*, aliud *Jus cudendi denique monetam*. Jus monetæ consistit in cura publica, ut moneta sit justa & Legibus monetariis conformis. Hoc Jus ad Imperatorem & Status Imperii omnes simul pertinet, prout id apparet ex *Ferdinandi I. Constit. Monetaria de Anno 1559. §. 1. aliisq; Recesibus Imperii passim.* Atque adeo materia solennis Comitiorum esse solet. Interim cura etiam quædam hujus rei præsertim quoad probationem & executionem Legum Monetariarum Circulis & præcipuè illorum Directoribus est data, de qua re agitur *R. I. 1570. §. 40. M. O. §. 158. R. I. 1570. §. 139. R. 1576. §. 79. Budel. de Re Num. L. 1. c. 26. seq. Krull. de Regal. Mon. c. 7. §. 9.* Imo quemlibet ex Imperii Statibus, omnesque Magistratus alios Constitutiones Imperii adstringunt, ut serio, quantum in ipsis est, operam dent, ne contra Leges Monetarias peccetur. quod & *I. d.*

*I. d. A. 1594. §. 102.* alique loci, præsertim recentiora Mandata monetaria satis confirmant.

XXXII. Jus cudendi monetam sine dubio Imperatori competit. In *Aurea Bulla Art. 10.* Regi Bohemæ, omnibusque Electoribus confirmatum concessumque legitur; ad alios deinde Status Imperii, imo & Civitates quasdam mediatas e. g. Magdeburgum, Hannoveram, Stralsundum, Sedinum, Wismariam, &c. *Arniseus de J. M. L. l. c. 1. n. 6.* personas privatas quoque aliquando *Lehm. C. Spir. L. 4. c. 14.* *Krullius de Regali Moneta c. 2. in fine,* vel Imperatoris beneficio expresso, vel immemoriali præscriptione transit: quamvis & ante A. B. quosdam hocce jure gavisos esse jambigendum non sit. *Rummelin. ad A. B. P. 1. Dissert. 8. & 30. Limn. c. 10. §. 2. ad A. B.* Dantur tamen & Status, qui jure monetandi vel plane non, vel plenarie non gaudent. *Münz-Ordnung §. 178. Recess. Imp. de A. 1576. §. und aus andern.* Atque adeo Status Imperii non jure territorialis Superioritatis, ut sentit *Mingius de Superioritat. Territ. c. 5. §. 68.* sed ex privilegio Imperatoris jure monetam cudendi eatenus pollent, quatenus & quousque vel concessione expressa, vel immemoriali præscriptione id habent acquisitum, & quousque Leges publicæ exercitium hujus juris permittunt. *Rec. Imp. de A. 1537. §. So haben wir. Ordin. Monetaria Ferdin. I. de A. 1559. §. Ferner als sich auch §. 178. R. l. 1570. §. Allsdenn die Münz-Berechtigkeit. Vide Myl. ad Rummelin. d. l. it de Jure Statuum Imperii c. 71. Schweder. de Jure publ. c. spec. sect. 2. c. 10. Viiriar. lib. 3. Tit. 17. §. 56. & latiss. Krullius de Jure Regali Moneta c. 2. Nec. abst. §. 25. R. l. 1524. ibi: Regalien der Münz &c. Respondebimus* Hanc ob causam olim quoque vel effigies Imperatoris, vel aquila biceps cum globo & nomine Imperatoris uni lateri imprimi solebat; quales monetarum typi habentur apud *Hortled. Tom. II. Von Rechtmäßigkeit des Deutschen Krieges lib. 5. c. 6.* Quid hac de re in ordinatione monetaria §. 10. cautum, ibi legi poterit. Quæ tamen dispositio hodie fere ab usu recessit, & à paucis tantum Ecclesiasticis sc. quibusdam Statibus & Civitatibus Imperialibus adhuc observatur. Alii vero in monetis secundum pedem & ligam Imp (quæ, quid sint? docet *Ziegl. de l. Majest. l. 49. 13.*) cussis, pomum saltem Imperiale addi solent.

XXXIII. Recentiores quidam Juris Publici Interpretes in ea sunt opinione, illa quæ hæcenus dicta, tantum esse intelligenda de moneta Imperiali, von der Reichsmünze/ die im Reich gültig sey/ non de moneta provinciali, Landes Münze/ quam Status Imperii vi territorialis Superioritatis

Endere posse, quamve pedi & ligæ ab Imperio præscriptæ alligatam non esse arbitrantur. Verum utrum hæc analogiæ Juris Publici conformia sint, merito quis dubitaverit. Vi territorialis Superioritatis omnia posse Ordines in territoriis, quæ potest Imperator in Imperio notissimum axioma est, imo & verissimum: si modo commode, & secundum analogiam Juris publici explicetur. Sed & in illis fallere palam est, ubi restrictio ex Lege publica doceri potest. Cum itaque jus monetandi pari ratione, ac jus vectigalium sine speciali concessione tacita vel expressa competere haud possit, nec sub complexu illo Regalium, quem Superioritatem territorialem dicimus, comprehensum intelligatur, nec etiam aliter quam secundum normam Imperialem exerceri queat; sua sponte sequi videtur, recentiorum illud assertum non adeo firmo niti fundamento. Equidem nos non fugit, in Legibus Imperii sæpius fieri mentionem monetæ provincialis, *der Landmünze* uti in *Ordinat. Mouet. Ferdin. I. §. 12. §. 19. §. 181. Rec. Imp. de Anno 1566. §. 153. & 4. libi passim*. Sed si Constitutiones istas penitus inspiciamus, facile apparet, illas neutiquam loqui de tali moneta, quæ vi territorialis Superioritatis, sepositis quoad ligam & pedem Legibus Imperii cuditur; sed de illis monetæ generibus agere, quæ secundum mores cujusque Provinciæ recepta sunt; qualia referuntur in *Ordin. Monet. §. 20*, quorum tamen bonitas interna LL. Imperii conformis esse debet. *Vid. Rec. Imp. 1551. §. 86. Rec. Imp. 1566. §. 155. verb. Sedoch daß dieselbige Landmünzen auch auf den Gehalt und Werth der Reichsmünze reguliret und geordnet werden. Conf. Dn. Ziegl. lib. 1. c. 49. §. 10*. Sed forte alia, quæ latent nos, in promptu erunt argumenta, quibus moneta illius provincialis causa poterit agi.

XXXIV. Jus concedendi Privilegium monetandi, olim soli Imperatori competebat, qui suo & Imperii nomine hoc jus largiebatur. *Spec. Svec. lib. 1. c. 12. §. 4. L. R. L. 2. c. 26. R. I. d. A. 1551. §.* So haben wir uns etc. *Münz-Ordnung §. 178*. In Rudolphi II. vero primum, & deinde omnibus usque ad hæc nostra tempora Capitulationibus cautum est, ne jus illud sine præscitu Electorum concedatur. In noviss. Leopoldi Invictissimi & Serenissimi Josephi Capit. hæc insuper verba: und ohne absonderl. Einwilligung und Consens der 7. Churfürsten/sunt adjecta. Ex quibus tamen verbis neutiquam illud inferendum est, quasi non sufficeret Collegialis, sed individualis requireretur consensus: verbum enim absonderl. opponitur juri pristino, quo consensus Electorum plane non exigebatur. Caterum & adhuc hodie Imperatorem cum consensu Electorum mediatis conferre posse jus mon-



monetandi ex §. 34. Cap. Leop. §. 33. Josephi diserte apparet, quicquid dicant  
dissentientes, inter quos *Schved. Part. Special. Sect. 1. c. 22. n. 3.* non vero  
*Myl. de I. stat. p. 2. c. 71. n. 4.* referendus est. Illud vero recte tradit cum *Dieteri-*  
*co ad A. B. Myler d. l.* verbis Capitul. Leopold. modum acquirendi per tacitam  
Imperatoris voluntatem obicem positum esse: dum cautum Imperatorem  
privare velle hoc exercitio monetandi eos, qui jus illud nondum legitime  
acquisivere. Hacce enim ratione prescriptionem immemorabilis tempo-  
ris, qui nondum adimplere, nec imposterum adimplere poterunt.

XXXV. Ad monetarum confectioem sumptus requiri quilibet no-  
vit. Circa quos disputant Dd. utrum publica res ferre debeat istos sumptus,  
utrum vero is, qui monetam cudit, de materia tantum detrahere possit,  
quantum expensis in eam faciendis sufficit? Civilis Juris Dd. plerique opi-  
nantur, expensas de publico fieri debere, ita, ut tantum & non plus valeat  
moneta causa quam materia. *Vivius comuun. opin. 118.* & alii quas citat  
*Budelius de monet. c. 6. n. 1. seqq.* Canonistæ verò materiae detrahi aliquid  
posse volunt, sententiamque suam consuetudine muniunt universali. *Co-*  
*varr. de vet. num. cap. 7. n. 8. Budel. d. l. n. 4. seqq. Alemann. Consult. de ju-*  
*re monetæ princip. l. p. 388.* Nos negotium hocce ad arbitrium illius, qui  
*τὸ κέρειον* tenet, referendum esse arbitramur, qui uti nummo formam & pre-  
tium dat, *D. Ziegl. de I. M. L. l. c. 49. §. 8.* ita & pro re nata & exigentia  
Reipublicæ hac de re statuere potest, quod necessitas & salus Reipublicæ  
postulat. Si ærarium publicum sumptus hos commode suppeditare possit,  
quis non diceret illinc petendos esse, & non majorem nummo dandum  
valorem, quam materia habet? quo tamen facto cavendum erit, ne ad ex-  
teros exportetur. Sin minus: non peccabit *τὸ κέρειον* habens, si tantum ex  
materia detrahatur, quantum opus: cum de suo, ut hos faciat sumptus Impe-  
rantem obstrictum esse asseri nequeat. Quid? quod nec injustum credimus  
esse plane, si ultra sumptus illos materiae detrahat quid pro re nata & exigen-  
tia Reipublicæ, atque Fisco inferri curet. Vid. *B. D. Ziegl. d. I. M. l. 49. 13.*  
Quicquid tamen hujus sit, si Leges Imperii nostri consulamus, his cautum  
legimus, illos, qui jure monetandi gaudent, impensas ipsos subministrare  
debere: posse tamen aliquid vilioris metalli monetis admiscere, sed non  
plus quam pes & liga admittit; quamvis præter illud ratione minorum mo-  
netarum (denen weniger Münzsorten) quæ majorem operam requi-  
runt, nomine impensarum adhuc aliquid detrahi possit. *N. Absch. de an. 1551.*  
*§. 46. M. O. Ferd. l. §. 175. Myl. ab Ebreub. de jure stat. l. §. 8. Ziegl. de Iur.*

Maj.

*Maj. L. 1. c. 49. §. 24.* Id quod ita detrahitur bonitati internæ, vocatur das  
 Schlageforn/oder Schlegeschatz/ de qua re vid. *Tilemanni Münz-Spiegel*  
*L. 1. c.* Quamvis hæc vox Schlegeschatz alio quoque sensu veniat, pro reditu  
 nempe, quem Principes, quorum in terris metalli fodinæ reperiuntur, perci-  
 piunt. *Albin. Berg-Chron. tit. 4. p. 31. seqq. D. Eisenb. c. 2. th. 67.* Plane lu-  
 crum captare velle, ex jure monetandi legibus Imperii quàm maxime est  
 contrarium, *R. I. an. 1570. §. 132. M. O. §. 175.* Notabile est Sigismundi Privi-  
 legium Francofurtensibus datum 1492. quo sequentia habentur. Auch sollen  
 die ehegenante von Franckfurt uns oder unsern Nachkommen an dem  
 Reich von einen jeglichen Marck seines Goldes / die, also vermünget  
 wird/ einen halben Gulden zu Schlege Schatz geben in unser und des  
 Reichs Cammer/ also doch daß dieselben von Franckfurt einen War-  
 diener von solchen Schlege Schatz sollen und mögen lohnen/ und Klei-  
 dung geben. Sie sollen auch jährlich uns oder dem / wem wir das be-  
 befehlen/ redliche Rechnung thun oder geben. *Jac. Lampad. in discurs. de*  
*natura nummi,* mixturæ metallorum illi, de qua diximus, originem cor-  
 ruptionis rei monetariæ adscribit, quam evitare potuisse putat, si ex pura  
 auri & argenti massa nummi fierent. Sed utrum hac ratione mederi possit  
 malo huic seculi nostri? merito dubitare licet. Fac, ex puro argento auro-  
 que fieri nummos: an non ponderi fraus fieri potest? quis admixtionem  
 alterius metalli impediet? Certe Leges bonas id non posse, quous-  
 que vincuntur à malis moribus, experientia satis docet. Nisi ergo cupido  
 turpis lucri efficaci modo possit comprimi: nulla spes de malo hoc era-  
 dicando superesse videtur.

XXXVI. Qui rem monetariam curant, remedium sæpe in ore habent  
 quare, quæ illius sit ratio, paucis annotare hic duximus. Sc. quia admodum  
 difficile est, pedem tam exactè observare, ut nullus prorsus defectus aut  
 excessus reperiatur: conniventia & indulgentia quadam fieri solitum est  
 ut Magistris Monetariis impunè sit, si exiguus aliquis defectus intrinseci  
 valoris interdum reperiatur, cum & fieri possit, ut alio tempore excessus  
 sive superpondium adsit. Quam conniventiam artifices, & cum illis Con-  
 stitutiones Imperii remedium vocarunt. Sed quia remedium hocce  
 variis abusibus jam olim contaminatum fuit: Imperator & Or-  
 dines Imperii remedium malo huic in *Rec. Budel. de Re*  
*Mon. L. 1. c. 20. Imp. an. 1570. §. 136.* ferre cogitarunt.



Wittenberg, Diss., 1693

ULB Halle  
003 586 286



3

L

Sb.

1017







R. B. V. 1693 44. 15

JURIS FEUDALIS  
tio Octava

DE  
GALI  
US.

Quam  
ESIDE  
NRICO HORNIO,  
n P. P. atq; Collegiorum  
væ hic sunt, Adfessore,

mbr. M D C. XCIII.  
orio fctorum  
ice defendet

ALPH de SCHLEINITZ,  
q. Misn.

Prelo Goderitschiano.

